





36





TOWARZYSTWO  
HISTORYCZNO  
LITERACKIE

T.H.L.

100-1000  
100-1000

582. K.

Dipl. Bibl. XXI. Cartorys dieb. edicioneis sive f. D. 12. i. 1700

# SINGULARIA QVÆDAM POLONI- CA,

Per



NICOLAUM DE CHWAL-  
KOWO CHWALKOWSKI,

Illustriſſimi & Celiſſimi in Livo-  
niâ Curlandiaæ & Semigalliaæ Ducis Consiliarium &  
ad Aulam Regiam Polonam Residentem.



SCHLICHTINGSHEIMI,  
Typis JOANNIS CHRISTOPHORI WILDIL  
ANNO M. DC. LXXXIII.

INGULARIA  
GADAM  
DOLONI  
CA

Pet.

MICOLAVU DE CHAEL.  
KOWO CHIAFRKOWSKY  
Mysticum & Cestrum in Livo.  
de Chypre & Sylvestris Dux Coniunctum ex  
de Vesperis Regis et Lectorum Redigentur.



SCHTICHTINGSHEMI  
DE JOVANNIS CHIRISTODOXI M  
VHNGER W DE IXXXIII



# AD SERENISSIMAM PRINCIPEM

AC

D O M I N A M  
D O M I N A M

T E R E S I A M  
C U N E G U N D A M  
C A S I M I R A M  
R E G I A M P R I N C I P E M  
P O L O N I A R U M .

## SERENISSIMA PRINCEPS,

*DOMINA, DOMINA BENIGNISSIMA.*

**F**acile longævam memoriam fugit, quicquid intra metam vulgaris scientiæ consistit. Curiosa posteritas *Singularia* adamat colliq;, & quæ trita sunt extra prodigium habens,

bens', illa suscipit, quæ vel exemplis provocant, vel disparitate rerum avertunt. Placuit vetustati variegatus Dearum cætus, non alio, quam *Singularium* nomine collectus. Voluit etenim Ægide instructam esse Palladem, utpote artium & armorum Præsidem. Notavit Dianam lucis inerrantem, nec alio modo Actæonis audaciam competentem, qvâ ceruinâ specie, ut nemorum montiumq; ac venationum cultricem Custodem. Expressit Venerem Cupidinis tenuitudine satiatam, ut amoris aram. Insignivit demum ipsam Junonem pavonis apparatu superbientem, ut Regnorum Dominam. Sic, quæ *Singularia* erant attributa, antiquitatis merebantur monumenta. Et hinc est *S E R E N I S S I M A P R I N C E P S*, quod meorum *Singularium SERENITATI TUÆ* ex debito inscribam fasciculum, utpote, in quâ præter summa *Singularia* illud *singularissimum*, quod quæ plerumq; vel eximio Spiritu ornant, vel gratiâ benignitatis commendant, vel per animi corporisq; dotes in admirationem rapiunt, indeq; *Singularium* propriatum titulos efficiunt, in Te coadunata *singularissime* excellunt. Derivatur in Te & *Singularis* ille Serenissimi ac Potentissimi *R E G I S P A R E N T I S T U I* gloriæ decor, quod initio Regni sui maluerit mereri, quam coronari, ac dein publico Christianitatis bono &

Vici-

Vicinæ necessitati sese impendere , quām ad  
 pericula Regni sui intra suos fines excubare.  
 Participasti *singulari* Numinis Divini provi-  
 dentiâ de Diadematis **SERENISSIMÆ RE-  
 GINÆ MATRI TUÆ** impositione, ac prius.  
 Cracoviæ coronata, quam illic nata, priusq;  
 cum Sceptro gesta, quām Orbi concessa fui-  
 sti. Participas & de *singulari* illo **SERENIS-  
 SIMÆ MATRIS TUÆ** in rem Christianam  
 ardore, quæ merito sibi vendicat , & univer-  
 sorum testimonio abundat , fœderibus totò  
 Christiano orbe nunquam visis & vix expe-  
 statis tanto & tam felici molimine allabo-  
 rasse. Propriam vero *Singularium* Tuorum  
 prærogativam dum expono, admirandam in  
 primævo pulcherrimæ Juventutis **TUÆ** flore  
 variorum & potissimum *Latini* peritiam de-  
 prædico. Maximi momenti hoc *Singulare*  
 est, utpote, quod Regali **TUÆ** indoli pon-  
 dus adjicit, bonarum artium cultoribus ma-  
 ximam quamq; spem per compendium tri-  
 buit, populisque, quo TE Divina destina-  
 bunt oracula , plausum faciet solatiumqve.  
 Hæc ego **SERENISSIMA PRINCEPS**  
*Singularia* cæteraque in TE stupenda orna-  
 menta non vano eloquio extollo , sed hu-  
 millimâ devotione veneror , pudibundas  
 aures **TUIS** non demulceo , sed genui-  
 nam serie assertorem ago , simulq; expeto,  
 ut tantis **TUIS Singularibus** hoc superaddas,

& de Serenissimorum Regiorum Paren-  
tum Tuorum Tuoq; nomine minimē me-  
ritum, singulari tamen gratiā & protectio-  
ne complectaris, tanq;am

## SERENITATIS TUÆ

*Singulari cum observantia  
demissimum Servum*

**NICOLAUM de CHWAL-  
KOWO CHWALKOWSKI.**

IN  
HONOREM  
AUTORIS.

**S**armatia Sobolisq; decus, Malewscia qvon-  
dam  
Cui Genus & Proavos prisca Propaga-  
dedit,

Carmine Sarmatico nuper Vexilla canebam,  
Quæ dat a sunt Fratri præmia digna Tuo:  
Plaudebamq; Operi, quo mens Tua dædala scripsit  
Tam bene Sarmatici PUBLICA JURA soli:  
Ausonio celebrat nunc Te mea Musa cotburno,  
Atq; novum, Pallas quod Tua struxit, opus  
Heu Tua perpetuis inscribit Nomina Fastis,

Atq; parem fratri Te facit esse Tuo:  
Ille gerit Martis Labarum, Tu Palladis bastam,

Et Labore & bastâ tempus uterq; domat:  
Hasta jungatur Labarum, nam Signifer unus  
Est si Gradivi, Palladis alter erit.

Sub signis Ævo meditetur prælio vestris,  
Insidias Ævi vincere quisquid avet,  
Ævo bella gerat: vobis nam Numinis adsunt  
Omnia si gemini, non nisi victor erit.

MS(0)58


Accipe pauca licet, qua fidus *Anonymus* offert,  
Carmina, devoti pignora Cordis erunt.  
Qui Tibi plectra movet, moveat sive Nomine  
quamvis,  
Vult tamen & dici, semper & esse Tuus.

**V**Ix licuit fessis paulum requiescere prælis,  
E quibus in lucem Publica Jura dabus.  
In nova fert animus: Lechicæ Specialia Gen-  
tis  
Egregiam mentem, scribere, cura subit  
Non humilis cura est, nec vili corda Prometheus  
Flammâ urit, cuius lumine clarus eris  
Nam dum sollicitè exploras monumenta vetusti  
Temporis, Historia sive recentis opus,  
Et sparsas cumulas gemmas, lapidesq; nitentes,  
Queis REGEM & Patriam condecorare quers;  
Hoc magno REGI, Patriaq;, & civibus equis  
Hoc, Frater, cunctis nomine, charus eris.  
Sic reor atq; opco; magnas nam dicere laudes  
Fraterni nexus jura modesta negant.  
Atq; licet silentiam, meritum Tibi grata rependet  
Et præsens ætas, posteritasq;, decus.

Hisce Fratri Germano Singularia Regni  
Polonix edenti gratulatur

**JOANNES GEORGIUS de CHWAL-**  
**KOWO CHWALKOWSKI**, Vexillifer  
Neogrodensis in Ducatu Severiæ, & Sere-  
vissimæ Marchionissæ Brandeb: Com-  
missarius.

SIN-



---

# SINGULARE per ANAGRAMMA REGI LUNAS.

**R**ara refers nobis bic Regni SINGULAS  
sed qui  
Sceptra gerit nunc REX, hoc Speciale  
gerit,  
Quod docuit reliquos Lunam obfuscare Trium-  
pbis,  
Et docuit, quod nec pluribus impar erit;  
Hinc LUNAS, si que restabunt, innuat Orbis  
REGI, privabit lumine lucis eas.

SAMUEL de CHWALKOWO  
CHWALKOWSKI, Serenissimi  
Electoris Brandenburgici Camera-  
rius, ac Consiliarius Aulæ Judicio-  
rumq; & Capitaneus Drahimensis.

иауди ти си имена дипломати  
ири и сопротиви има ти се  
издаде издава сирия и сирия  
снажи сирия и сирия  
СИРИЯ И СИРИЯ

Сирия и сирия и сирия  
и сирия и сирия и сирия  
и сирия и сирия и сирия  
и сирия и сирия и сирия  
**И** и сирия и сирия и сирия  
и сирия и сирия и сирия

и сирия и сирия и сирия  
и сирия и сирия и сирия  
и сирия и сирия и сирия  
и сирия и сирия и сирия

## OLONIA sub BOESLAO I.

**P**cipit esse Regnum , sub ejusdem nominis Rege BOESLAO II. usq; ad Premislum.

Quantum de æstatibus Ducum ac Regum Poloniæ constat , nullus nisi Miecislaus Senex *anno climacerico scilicet sexagesimo tertio* , mortuus est.

Inter singularissima poni meretur, quod Reges Poloniæ in loco, ubi Reges esse oriuntur, non moriantur: Computando enim à JAGELLO NE usq; ad MICHAEL EM nullus nisi SIGISMUNDUS III. ibi mundo valedixit, ubi Respublica eum Regem dixit , scilicet Varsaviæ. JAGELLO electus Cracoviæ, mortuus in Russia in castello Grodek. ULADISLAUS JAGELLONIDES Breclia in Cujaviâ electus, periit ad Varnam. CASIMIRUS IV. Breisciæ Rex declaratus, mortuus Grodnæ JOANNES ALBERTUS electus Petricoviæ , mortuus Thorunii. ALEXANDER electus Petricoviæ, mortuus Vilnæ. SIGISMUNDUS I. electus Petricoviæ, & mortuus Cracoviæ. SIGISMUNDUS Augustus adhuc puer Vilnæ anno 1529. renunciatus Magnus Dux Lituaniæ

& Anno 1530. Cracoviæ Rex salutatus mortuus Knisini. HENRICUS VALESIUS electus Varsaviæ, & ut Rex Galliæ in castris ad Clodovæum percussus à sicario, animam exhalavit. STEPHANUS electus Varsaviæ & mortuus Grodnæ. Vladislaus IV. electus Varsaviæ, & decessit Merecij. JOANNES CASIMIRUS electus Varsaviæ & mortuus Nivernæ in Gallia. MICHAEL electus Varsaviæ, & mortuus Leopoli.

Singulari admiratione dignum est, qvod de Regibus Poloniæ ab HENRICO VALESIO extet vaticinium successive hactenq impletum.

*Flos de Valle*, qvo indigitabatur prædictus Henricus Valeſius florem. Lilium in armis gerens.

*Corona*, STEPHANUS, nam hæc vox apud Græcos Coronam significat.

*Exul fortunatus*, SIGISMUNDUS III. Paterno enim ac hæreditario Sveciæ Regno cum exutus fuerit, *fortunatus*, qvod alibi, scilicet in Polonia Regnum tenuit amplissimum.

*Gloria succedens*, ULADISLAUS, nam *sla-wa*, gloriā idiomate Polonico exprimit.

*Manipulus sterilis*, JOANNES CASIMIRUS qvi in insignibus gessit manipulum, & *sterilis* decessit.

No-

*Noctis breve sydus*, MICHAEL Rex, quippe Lunam, qvæ est *noctis sydus* in Armis gesit,  
& brevi tempore orbi Polono luxit, nam qvinto anno desiit.

*Manus congregatorum* JOANNES III. nunc felicissima prudentiâ regnans. Nam *manu suâ congregatorum* in Comitis Electionis Ordinum, ut Archi-Mareschallus Regni scipionem gerens, moderamen tenuit.

Habuit suum Polonia Herculem, i. e. monstrorum domitorem CRACUM, Hic enim monstra civilium discordiarum sustulit, &, ut alter Hercules Draconem horrendæ magnitudinis occidit, ac vastum Nemeæ sub rupe leonem mactavit, ita noster Draconem immane monstrum, qvod in suspensi rupibus antro Cracoviæ habitasse dicitur, confecit. Rapiebat, *Sarnitio referente*, bestia illa è specu montis egressa jumenta & homines incaute oberrantes rictibus horridis voracissime deglutiendo. Cracus afflictæ Cracoviæ condolens tria corpora jussit qvotidie exponi. Nam his contenta alia non reqvirebat. Sed & hoc onerosum erat, propterea suapte industriâ excogitavit, ut corporibus, qvæ objicienda erant, Sulphur & cauma ignitum ex cerâ & pice includerentur, atq; occultarentur. Cumq; bellua tum naturali rabie

bie tum voraci esurie exagitata sine delectu oblatam prædam raperet, atq; voraret, sensim debilitata, & tandem extincta est.

**VENDA** maluit esse Princeps, qvam Principis uxor. Maluit pugnare, qvam amare. Post victoriam in victimam se immolavit. Hostis amans ut amens infelicem sibi manum injecit, illa triumphans in Vistulam se projectit. Rara contemptrix amoris, victoriæ, vitæ.

**POPIELUS I.** habuit morem se execrandi, ut sæpiissimè in hęc verba eruperit: O, utinam à muribus corroderer! Accidit hoc prodigiosum supplicij genus, licet non ipsi, tamen Filio ejus, **POPIELO II.** ut Annales Veterum perhibent.

Notatu dignum, qvod illo ipso loco, scilicet Crusviciæ, ubi **POPIELUS** à muribus consumptus & prima classis vel Dynastia desit, altera **PIASTÆA** feliciter incepit.

**ULADISLAUM I.** tradunt fuisse Religioni ita deditum, ejusq; ceremoniarum ita pertinacem, ut certis diebus festivis more Machabeorum pugnam inire detractaret, malletq; qvodvis periculum subire, qvam Solennitatem festi contemerare *Sarnic.*

Omnes & singuli **BOLESLAJ** qvorum  
qvina-

qvinq; fuerunt , singularia cognomina ha-  
buerunt, I. CHOBRI 2. AUDAX 3. CRIVOU-  
TUS. 4. CRISPUS. 5. PUDICUS dicebatur immo  
& ille *BOLESLAUS*, cui , postqvam Pudicus  
in Ungariam transfugerat , Principatus de-  
cernebatur , CALVUS vocabatur.

**BOLESLAUS CHOBRI** tantum erga Reli-  
gionem Christianam exhibuir zelum, ut oc-  
cisi Adalberti Martyris corpus auro contra  
appensum à barbaris redemerit.

Singularis Magnanimitatis ac felicitatis  
Exemplum refert ex *Guagn: Sarnitius* de Re-  
ge BOLESLAO CRIVOUSTO , qvod recreatio-  
nis gratia centum duntaxat Eqvitibus cinc-  
ctus venatum processit, ubi in tria millia Po-  
meranorum insidiantium incidit, in qvos ipse  
Rex veluti leo rugiens primam impressio-  
nem fecit , tribusq; imperfectis suos animo-  
fiores reddidit. Qvidam verò Pomeranus in  
ipsum Regem collimans, eqvum sub eo trans-  
fixit, attamen à perseqvendis hostibus, altero  
Eqvo nacto haud destitit , donec multo cum  
labore à tam obstinatâ audaciâ retractus  
fuerit.

Miram in præfato BOLESLAO CRIVOUSTO  
Metamorphos in notat Historia , qvod post-  
qvam ut verus Martis pullus toties in *conspicuum*  
*hostium venisse*, victorq; semper abiisset,

tandem conspectum hominum vitaverit, assiduo se domi luctu macerans, qvod à Russis dolò circumventus & in prælio fortiter rem agens à suis tamen destitutus, non aliter nisi fuga sibi consulere potuerit.

*Primus inter Regnantes Poloniæ literatus, primus etiam fuit nominis scilicet CASIMIRUS Primus.*

Singulare est, & vix alibi in aliorum Regum Historiâ occurrit exemplum continentiæ inter BOLESLAUM IV. & CUNEGUNDIM Bellæ Ungarorum Regis Filiam. Post nuptias enim consensum utrinq; est in perpetuæ Virginitatis Sacramentum, unde BOLESLAO nomen Pudici inditum fuit.

*CASIMIRUS I. Rixa matre genitus rixas domesticas in Regno feliciter composuit.*

Qui à maximis orti, in minimos sæpe de-creverunt; E contra, PIASTI Sangvis parvum principium habens, post tot seculorum non interruptam seriem, non nisi in MAGNO scilicet CASIMIRO, desit.

*CASIMIRUS iste Magnus cum An. 1370. die Festo, disvadentibus suis Venatum abiisset & cervum infectaretur, eqvus cum impetu lapsus est, ut carnosum Regis corpus conqvassatum, & mors subsecuta fuerit.*

Forma

Forma & corporis habitus **CASIMIRI**  
**MAGNI** prorsus cum **CASIMIRI PRIMI** formâ  
 corporisq; habitu convenit , ita ut isti duo  
 Principes uti nomine , ita & persona similli-  
 mi inter se fuerint *Sarnic.in Annal. p. 330.*

Postquam JAGELLO cum Christianâ Re-  
 ligione nomen VLADISLAI & Coronam susce-  
 perat, atq; nuptias cum HEDVIGA celebrave-  
 rat, in Lithuania proficiscebatur, ubi *Apostoli*  
*& Evangelistæ* officio functus, ita elaboravit  
 in promovenda fide Christianâ, ut ipsemet in  
 Templo interpretatus sit symbolum Aposto-  
 licum tanto succelu , ut per annum Regio  
 ista ab ETHNICA superstitione repurgata sit.  
*Sarnic. in Annal. 347.*

Cum idem Rex JAGELLO & VITOLDUS  
 Magnus Dux Litvaniæ circa conversionem  
 Samogitiæ laborarent, accidit lepida res. Ni-  
 colaus WĘZYK Ordinis Prædicatorum Sacer-  
 doti ad populum præsentibus Principibus  
 verba facienti, explicabat forte de suggestu  
 creati orbis seriem Sacer Orator, cum gran-  
 dis natu vetulus Sacerdotis sermonem inter-  
 rumpens, populum clarâ voce alloquitur :  
 Mihi credite viri, qvæcunq; ab hoc Juvencu-  
 lo homine dici audistis , ficta profecto sunr,  
 undè enim ille hæc nosset, cum ego tot An-  
 nos & prope seculum integrum vitâ & me-  
 moria complexus, neqvaquam horum recor-  
 dor,

dor. Abiisset tota concio in risum , nisi Rex autoritate suâ Sacerdoti fidem fecisset apud populum. Per benigne enim tum edentulum illum, tum reliqvos allocutus, edocuit : Sacros Oratores non ea pro concione dicere , qvæ ipfi aut oculis suis usurpassent, aut ætate attigissent, sed qvæ pluribus ante Seculis supremi veriq; DEI potentia effecta ex majorum doctrina scriptorumque vetustorum monumentis, præcipue ex divinis libris haussissent *Kajalou part. 2. lib. II. p. 94. 95.*

Idem Rex VLADISLAUS cum domo egrediendum foret , unipedi insistens , ter in gyrum se circumferebat. *Id. Kojal.*

Idem in missæ sacrificio , cum sacra hostiâ à Sacerdote in altum levaretur, festucam, aut qvidqvam simile arreptum minutimque confractum abjiciebat , affirmando hoc argumento supremi Numinis in omnia autoritatem Regiorumq; capitum subjectionem se publice profiteri. *Idem part. alt. 165.*

*JAGELLO* vino semper abstinuit & filius ejus *CASIMIRUS*. solam frigidam potitare solitus. Sobrietatis etiam singularis fuit *VITOLDUS* Magnus Dux Lithuaniae, nunqvm enim vinum, aut e grano vel melle coctum potum gustavit. *Kojal.*

Confectis An. 1418. induciarum tabulis  
cum

cum Crucigeris Rex *VLADISLAUS JAGELLO* majorem Poloniam petiit, in quo itinere dum Posnaniā Srodam tendit, non multum à periculo vita absfuit. Repente enim atræ nubes cœlo obductæ incredibili tempestate detonuerunt, duobus Regii currus satellitibus, qvatuor è sexiga eqvis, qvinto sub armigero fulmine ictis. *Kojal. part. 2. lib. 2. p. 107.*

*HEDWIGIS* sæpè fati *JAGELLONIS* uxor tantæ fuit humilitatis, ut ne tapetibus qvidem parietes conclave ornari permisit. *Cromer. fol. 328.*

*ELISABETHA CASTIMIRI IV.* uxor singulare fœcunditate ac felicite gavisa est, non solum enim qvatuor Regum mater fuit, scilicet *VLADISLAI* Hungariæ & Bohemiæ Regis, *JOANNIS ALBERTI, ALEXANDRI, & SIGISMUNDI*, Regum Poloniæ sed etiam Regnantes vidit. Filias præterea qvatuor habuit, Hedvigen Bavariæ, Sophiam Marchionis Brandenburgici, Barbaram Saxoniam, Elisabetham Legniciam, Ducum consortes.

*LUDOVICUS REX*, hoc habuit peculiare, qvod nonnunquam dissimulato habitu vicos & oppida perlustravit, ut cognosceret, qvid de Publicanis & exactoribus, Judicibus & Magistratibus suis ac de se deniq; vul-

gus hominum affectandi nescium sentiret,  
multaq; ex horum sermonibus in se suisq;  
correxit ac castigavit *Sarmicius*.

**SIGISMUNDUS I.** tanti fuit roboris, ut ætate florenti soleas ferreas, qvales eqvis suppinguntur frangere, funesq; cannabinos rumpere solitus fuerit.

**SIGISMUNDUS** prædictus ita expers fuit ambitionis, ut Hungaricum, Svecicum, Bohemicum sceptrum oblatum repudiaverit.

Singularem apud subditos habuit securitatem, ut dictaverit, in sinu se cujusq; illorum posse confidenter somnum capere.  
*Kojal. p. 408.*

Meruit **SIGISMUNDUS I.** poni inter tres Heroas illos, qvi nisi simul imperassent, singuli digni fuerint, qvi toti orbi imperarent; Hi sunt *CAROLUS V. Imperator*, *FRANCIS-CUS I. Galliæ Rex*, & iste **SIGISMUNDUS**.

Eo die, qvo Foxius Mathematicus prædixerat Regem *SIGISM.* *AUGUSTUM*, peritum, pila emissa Regiomonti cum magno tormentorum reboatu salutaretur, fere testigerat Regem, ut qvæ fortuitâ solum eqvi declinatione prætervolans, pone seqventi Visnovecio caput abstulit. *Past. in Floro. Pol.*

STE-

**STEPHANUS REX** Attilæ primo Duci Hungarorum simillimus traditur, qvod ex Procopij Historici descriptione *Sarnicius* in Annalibus p. 410. deducit.

De morte **REGIS STEPHANI**, Singulare hoc memorlæ prodit allegatus *Sarniciq*, qvod invalescente morbo inrerrogatus à circumstantibus, qvomodo se haberet, responderit: Licere sibi nunc uti verbis illis Divi Tertulliani, qvinqvaginta qvatuor annos peregi, scio qvales dies fuerint, qvales vero futuri sint in posterum, ignoro.

**POLONIA** habuit duos Reges, qvi licet simul alterius Regni fuerint hæredes, unum tantummodo retinuerunt, scilicet **HENR I-CUS, I. & SIGISMUNDUS III.** Ille Polonicum amisit, & Gallicum hæreditarium retinuit, hic Polonicum retinuit & Svecicum hæreditarium amisit.

**SIGISMUNDUS III.** qvotus in ordine Regnantium, tot regnavit annos. Fuit enim quadragesimus quartus Rex & quadraginta qvatuor annos Regno impendit.

**SIGISMUNDUS III.** Rokoffianos An. 1607. profligavit ad pagum *Guzowo* fatali denominatione à tubere ex ictibus alicui incussis.

Mathematicus qvidam Cracoviæ degens dedit peritiæ suæ illustre specimen qvando feralem illum prædixerat iustum, qvo olim fœdus parricida Piekarſcius **SIGISMUNDUM III.** tantum non de vitâ sustulerat. *Pastorius* in Bello Scythico Cosac. pag. 216.

**SIGISMUNDVS I.** Smolenscum amisit,  
**SIGISMUNDUS III.** à Moschis recuperavit, sic Avi damna nepos sarcivit.

Duo **SIGISMUNDI**, duas sorores in thalamum adduxerunt, **SIGIS. AVGUSTVS ELISABETHAM & CATHARINAM FERDINANDI** Romanorum Regis filias. **SIGISMUNDVS III. ANNAM & CONSTANTIAM CAROLI Archiducis Austriæ filias.**

**SIGISMUNDUS III.** dum defunctæ Reginæ **CONSTANTIAE** funus apparat, ipse fit funus. Dum uxorem Cracoviam ad avitum Mausoleum deducere cogitat, ipse simul deportatur, ita qvos junxerat i<sup>t</sup> balamus, jungit tumulgi.

Singulare est, qvod **SIGISM. III. REX Catholicus** cum Regina **ANNA**, ab Archiepiscopo Upsaliensi **Augustana Confessionis Abrahamo Andreæ coronatus.**

Præcedens nativitatem **VLADISLAI IV.** nox fortuito incendio illustris fuit, nam meior

lior pars Palatij Regij Cracoviæ conflagravit, unde variorum ingenia varia felicitatis omina traxerunt. Certe casus ille Arci bene cessit, nam *GEORGIVS RADZIWILL*, ex fodi-  
nis in agris Kielcensibus Episcopatus sui Cra-  
coviensis tunc recens inventis, Regi tantum  
cupri dedit, quantum sufficerit tectis splen-  
didius restituendis.

*VLADISLAO IV. & JOANNI CASIMIRO*  
*Fratribus duobus, due Sorores ANNA & CON-*  
*STANTIA fuerunt Matres, & una ambobus*  
*Vxor MARIA LUDOVICA.*

Duo *CASIMIRI* prius Religiosam, quam,  
 Regiam vitam probarunt *CASIMIRUS I. & JO-*  
*ANNE CASIMIRUS.* Ille in Monasterio Gal-  
 lico Cluniacensi jam Diaconus erat, hic per  
 biennium JESUITA, & anteqvam perseveran-  
 tiam in eo statu professus esset, ab *INNOCEN-*  
*TIO X. PAPA* in numerum Cardinalium co-  
 optatus; Ille ex Galliâ rediit ad Regnum hic  
 in Galliam abiit e Regno.

Mirum edidit exemplum *JOANNES CASI-*  
*MIRUS* Rex, dum pomum Regni sponte cessit,  
 cum Regna sint alijs poma Eridis, de qvibus  
 acqvirendis vel retinendis tam solicite agunt  
 decertantq;. Alii abdicantes fratribus, aut  
 consangvineis coronam tradiderunt, sed  
*JOANNES CASIMIRUS* eandem Patrio charissi-

mæ reddidit , ut hæc liberis suffragiis successorem designaret.

Observatione dignissimum , qvod SIGISMUNDUS AUGUSTUS ultimus stripis Jagellonicæ masculine Anno 1548. regnare incepit , & JOANNES CASIMIRUS ultimus ex stirpe materna familie Jagellonicæ vere sæculo post videlicet . Anno 1648. sceptrum obtinuit.

Singularis observationis res est , qvod ultimi descendentes domus Piastæ & Jagellonicae uno tempore fuerint humo mandati. Dux enim Lignicensis Bregensis ex linea Piastæ anno 1676. d. 30. Jan: & JOANNES CASIMIRUS Rex d. 31. ejusd: sepultus est. Imo si introitus Sere-nissimi Regis JOANNIS III. præfixo die scilicet 29. Cracoviæ celebratus fuisset , utriusq; exeqvias unus dies 30. Jan. junxisset. Sic tandem Domui Piastæ tanquam priori prius justo ordine justa sunt exsoluta.

Singulari providentia DEVS domum Jagellonicam sceptro Polonico destinavit , dum non tantum posteritate Jagellonis ducentis octuaginta annis regnare , sed etiam purpuræ , qvam ultimus ejusdem Rex JOANNES CASIMIRUS deposuerat , fraternalm Jagellonis sangvinem MICHAELEM nitescere voluit.

CAROLUS FERDINANDUS Princeps filius Si-  
GISM.

**GISM.** III. et si curâ **GEREMIAE** Ducis **VISNOVÉ**-  
eu Palatini Russiæ sceptrum non obtinuerit,  
arcanâ tamen fatorum gubernatione edu-  
cavit futurum Poloniæ Regem scilicet Mi-  
chaelem dicti Palatini filium.

Ex ore Serenissimæ Reginæ **MARIAE LU-**  
**DOVICÆ de MICHAEL** Principe Visnovecio au-  
dita est aliquando vox: Si Polonus succede-  
re sceptro debeat, non alium quærendum es-  
se. Sic Uncta Domini Ungendum, movente  
Numinis potentia, enunciavit.

Anteqvam eligeretur Rex **MICHAEL** exa-  
men a pium inter suffragatores consedit, bo-  
no omine Piastum esse eligendum, Piastus  
enim olim a piarius fuit.

Anno 1676. Cracovia tres Reges habuit,  
duos simul tumulandos, & unum coronan-  
dum, illos **JOANNEM CASIMIRUM & MICHA-**  
**LEM**, hunc **JOANNEM TERTIUM**.

Stuporis plena res est, videre Bochniæ &  
Vieliciae abyssum salis fodinârum, qvas ac-  
ceptas referunt precibus Cunegundæ Con-  
jugis BOLESLAI PUDICI. Cum per aliquot se-  
cula non nisi funium beneficio descensus &  
ascensus fuerit, Serenissimus Rex **JOANNES**  
**TERTIUS** rem perpetua laude ac memoria di-  
gnissimâ præstítit, dum *Salis fodinas Vielicen-*  
*ses*

*ses scalis donavit. Insigne hoc opus insigni  
Carmine Musa Illustrissimi Principis LUBO-  
MIRSCII Archi-Mareschalli Regni expressit.*

*TERTIUS bee scalis donat Rex antea JOANNES,  
Sic patet & paret facilis descensus avernī,  
Hic revocare gradum superasq; evadere ad auras.  
Non labor ullus erit , novus bac Maro marmore  
cancet.*

Memorabile est illud incendium , qvod  
sub finem anni 1644. d. 16. Dec. in salis fodinis  
Vielicensibus pabulo eqvino in candelam  
per incuriam injecto ortum est. Duravit il-  
lud ultra annum teterimo fœtore ac vapore.

Singulare ac omne in ævum laudatissi-  
mum exemplum edidit Serenissimus Rex  
JOANNES TERTIUS dum Anno 1683. Exercitum  
e Regno suo in Austriām Pannoniamq; con-  
tra Turcas Tartarosq; eduxit. Alij Reges a-  
lijs submittunt auxilia,hic ipse adducit. Alij  
alienis involare solent , hic ut Defensor ad-  
volat. Alij vicinis ditionibus detrimentum  
inferre solent, hic incrementum affert. Alij  
venire solent, ut fortalitia obsideant , hic ut  
ex obsidione liberet. Album & atrum alias  
inimica, hic amica. In prælium enim veni-  
unt,ac in eodem bene convenient atra & al-  
ba Aqvila. Alibi inter diversas Principum  
kopias discordia , hic sub auspiciis Fortissimi  
Regis

Regis summa inter tot Principes concordia.  
 Occultam qvandam vim virtutemq; nomi-  
 ni Regio de salvanda *VIENNA* inesse, tunc  
 ostendi, dum Serenissimus Cracoviâ motiōni  
 militari sese accingeret. Cum posthac in-  
 vento eventus tam feliciter aspirasset, publi-  
 co orbis applausui tenuitas meæ se-  
 qvens Carmen apposuit.




**FELIX OMEN IN NOMINE  
 SERENISSIMI AC POTENTISSIMI PRINCI-  
 PIS AC DOMINI  
 DOMINI  
 JOANNIS TERTII  
 REGIS POLONIAE.**

MAGNI DUCIS Litvaniæ, Russiæ, Prussiæ,  
 Masoviæ, Samogitiæ, Livoniæ, Volhyniæ, Ki-  
 joviæ, Podoliæ, Podlachiæ, Smolensciæ,  
 Severiæ, Czerniechoviæq; cæli-  
 tūs reconditum,

Et Mense Augusto cùm Augustus Noster  
 ad angustias Viennenses cum Exercitu move-  
 ret inventum ac publicatum postea  
 elucidatum.

*Et Sacra Regia Majestati Domino suo Clementissimo bumillimâ cum devotione dicatum dedicatumque Anno quo*

*VrbIs ViennensIs obsIsDloneM  
TVrCa reLiqVlt & fVglt.*



## **JOANNES TERTIUS REX POLONIARUM**

*per Anagramma.*

**SISTOR, VIENNA EX MALO  
REPONITUR**

*vel;*

**VIENNA EX MALO SORTIS  
REPONITUR**

Convenisse suis interdum nomina rebus  
Edocet hoc ætas nostra, priorq; satis.  
In re tam clara non sunt exempla petenda,  
Eventum nobis hoc Anagramma probat;  
Si *veni, vidi, vici* de sangvine Juli  
Prognatus Cæsar, Gloria Martis, ait.  
REX potius Noster fortissimus, inclitus orbis  
Christia dum Vindex dicere jure potest;  
SISTO me *video* te Turca, tuasq; phalanges  
*Vinco*, & victarum terga coacta premo,  
Exq; MALO SORTIS confessâ, REPONI-  
TUR instar Muri Germanis magna  
VIENNA suæ.

Vin-

Vincere non nosti modo sed cum fœnore  
          nosti,

Hostes Tu seqveris, Te bona sors seqvitur.

Ut sunt insignes Romano sangvine *Canne*

Sic *Barcanensis* terra cruore madet.

O nimium dilecte Dœ, qvem vincula pontis  
Rupta juvant præceps ut bibat hostis a-  
qvas;

Sangvineis guttis miscetur cursus aquarum,

Amnis Danubij fit mare purpureum.

Muri oppugnantur, sub jus, & pristina legum  
Hungariæ Regis vincula nunc redeunt.

Sed *Noster* dum REX alienis militat oris

Exemplo sorti fœdera sancta colens

Pressis Colacis redit in præcordia virtus,

Sævum Turcarum discutiuntq; jugum;

Subq; Tuis REX auspicijs dare pectora ferro

Discipiunt, mortem dulce decusq; putant

Sicq; Tuum REX Magne domiq; forisq; ve  
per orbem

Nomen fœcundæ semina laudis habet.

Non adeo Romam conterruit *Annibal* ante  
Portam, qvam Te nunc Turcica Porta ti-  
met.

Quod sit perfectum verè trinum omne, JOANNES

Tertius ostendit per sua gesta satis,

Est ut nonnullis prædicta potentia Regni,

Sic etiam Tua, REX ante notata libris.

*E*xq; malis populum quod sit Tua dextera multis  
Salvatura, ratam dicta dedere fidem.

*Omnia cum Domino incipiet, bene finiet ILLE,  
Vatidice dudum Svetica scripta canunt.  
Ergo REX vivas, vincas, sine fine triumphes  
Donec fine suo corruet Orbis opus.*

Inter memorabilia locum meretur, qvōd primus Dux Curlandiæ Gotthardus An. 1561. à **SIGISMUNDO AUGUSTO** ultimo stirpis Jagellonica masculine constitutus fuerit, & seculo post scilicet Anno 1660. Dux **JACOBUS** post Pacem Oli vensem ex captivitate Svetica sub **JOANNE CASIMIRO** ultimo Domus Jagellonica ex stirpe maternâ reintroductus.

Singulare & nunquam auditum constanter exemplum in prædicto Duce **CURLANDIÆ JACOBO** habet **POLONIA**, qui miro & miserabili Orbis spectaculo cum Serenissimâ Conjugè sangvinis Electoralis Brandenburgici, tunc puerpera, ac septem liberis in captivitatem maluit deduci, qvam à fidelitate abduci.

*Vsḡ tenax Jurisjurandi, ac cedere nolens  
Nec vi, nec pretio, nec prece mente suā.*

Singulari **ARCHIEPISCOPIUS** prærogativa eminet, qvod Mareschallum habet ex eo Ordine, in quo ipse est nimirum Senatorio, qvippe unus ex Castellanis currum illius Eqves antecedit.

DE

*DE CAPITANEO SAMOGITIÆ* hoc peculiare notandum, qvod non, ut alij Capitanei, à solō Rege constituatur, sed vacante sede unus à Nobilitate Canditatus Regi præsentetur, qvem confirmat. Deinde hoc singulari honore fulget, qvod etiamsi nullus Capitaneus locum in Senatu habeat, ille tamen in curuli sedeat, multosq; Palatinos præcedat.

Licet alij Palatini tam in Regno, qvam Magno Ducatu Lituaniæ à Rege solo creentur, tamen *PALATINUS POLOCENSIS* à Nobilitate eligitur, & à Rege confirmatur, juxta Privilegia antiqua à *ULADISLAO IV.* Anno 1647. & à *MICHAELE* per Constitutionem roborata.

Annus 1559. uti multis Principibus, ita & Reginæ Poloniæ fuit fatalis. Unius enim anni spatio *CAROLUM V.* Imperatorem, II. Daniæ Reges, Franciæ Regem, Veneti Senatus Principem, Pontificem, Palatinum Septem Virum Ferrariæ Ducem, III. præterea Reginas, Helionoram Franciæ, Mariam Hungariæ, ac deniq; bonam *SORTIAM POLONIÆ* ultimum vitæ diem clausisse patet.

Sic etiam annus 1632. non tantum aliquot Principibus scilicet *FRIDERICO* Palatino Rheni, *LEOPOLDO* Archi Duci Austriæ,

**CAROLO** Regis Hispaniæ fratri fuit fatalis,  
sed etiam duos Reges de uno simul Regno  
nimirum Svetico vocatos e vita evocavit,  
**GUSTAVUM ADOLPHUM** Regem Svecie ad  
Lutzenam in prælio, & postea alterum **SIGI-  
MUNDUM III.** Regem Poloniæ & simul Svecie.

**Lucas WEISSELROT** Episcopus Varmi-  
ensis nunquam, ut fertur, *risit*, sed tamen o-  
mnia *ridentia* sive læta Terræ Varmiensi præ-  
stítit ac reliquit,

*Nam pace quieta  
Floruit, & mensa est multis proventibus aucta,  
Arx Heilsbergensis flammis absumpta re-  
nata est.*

**NICOLAUS SZYSZKOWSKI**  
itidem Episcopus Varmiensis  
*Omnibus excultus Fortune animiq; talentis  
Fit similis pueru, tetricus, lucemq; perosus.*

Singulare bellicorum meritorum præ-  
mium refert Sarn: de **JOANNE à TARNOW**,  
qvem **SIGISMUNDUS I.** tanti fecerit, ut post  
illam memorabilem de Valachis *Victoriam*  
*ad Obertinum* binorum grossorum injugera  
contributionem publicam ei decreverit.

In supra dicti prælij eventu singularis for-  
tunæ lufus refertur, dum in illo tot omnino  
hostium cecidisse reperti sunt, qvot Polono-  
rum pugnaverant, nimirum qvatuor millia,  
cum hostilis Exercitus viginti duum mil-  
lium fuerit. In-

Inter singularia & antiquitates referri potest, quod ad Glussinum, ubi tempore Regis *Locrici* bellum acerrimum cum Cruciferis gestum, ducta fuerit *fossa septem milliarium*, cuius adminiculo aliquot millia Polonorum strenue sese adversus Cruciferos defendenterunt, exemplo Julij Cæsaris adversus Pompejum durante Bello Pharsalico. *Sarmcius in Indice tabule Sarmat:*

Anno 1511. *LASKOWSKI* genere Polonus in Polonia à *TURCARUM* Imperatore *Legationem* obiit, teste *Sarmicio pag. 383.*

Notari meretur temporum revolutio, quod *CAMENECIA* Podoliæ, quæ ab *OLGERDI* Magni Ducis Lithuaniae ex fratre nepotibus, quos Podoliæ præfecerat, condita sub *MICHAELE* Rege ex *OLGIERDI* familia oriundo à Turcis occupata sit.

Memorabiles Nuptiæ sunt, quas *CASIMIRUS MAGNUS* nepti suæ *ELIZABETHÆ* ex *BOGUSLAO* Pomeraniæ Duce genitæ paravit; adfuerunt enim istis Solennibus, præter sponsum *CAROLUM* Imperatorem, quatuor Reges, nimisrum *CASIMIRUS MAGNUS* Polonorum, *LVDOVICVS* Ungarorum, *SIGISMUNDVS* Danorum, *PETRVS* Cypriorum *REX* Ponto & adverso Istro in Valachiam, deinde terrestri itinere per Russiam advectus

Cra-

Cracoviam , item Principes alii non pauci ,  
qui magnificentissimè habiti sunt , duranti-  
bus usq; in vigesimum diem nuptiis & con-  
viviis.

Ut Romanis libertatem pudicitia , sic Po-  
lonis & Litvanis *RELIGIONEM pietas mulie-*  
*bris attulit.* Illos BOLESLAI Bohæmorum Du-  
cis Filia nomine *DOMBROWCA* Anno 965. à  
*MIESCISLAO* in matrimonium ducta , *CHRISTO*  
adduxit. Hos An. 1386 *HEDWIGIS* , qvam in  
Conjugium petebat *JAGELLO* , se & Lithuania-  
niam ad Christiana Sacra offerens. Nec im-  
pediri poterat Divinum Consilium , qvod in  
his *HEDWIGIS* nuptiis aliud novum Lithuania-  
næ cum Poloniæ conjugium moliebatur.

In nullo Regno , ita ut in Polonia *QUA-*  
*TUOR RELIGIONES* scilicet *CATHOLICA* , *AUGUS-*  
*TANA* , *REFORMATA* , & *RUTHENICA* , per Pacia  
*Conventa* publico gaudent exercitio ; *REGES*  
enim à morte *SIGISMUNDI* Augusti jura-  
mento se obstringunt ad Pacem inter *Diffiden-*  
*tes Religionis Cbristiana tuendam.*

Singularem ante hac libertatem habue-  
runt homines *RELIGIONIS GRÆCO-RUTHENICÆ* ,  
dum è REGNO Poloniæ ad Patriarcham Con-  
stantinopolitanum appellationes interpone-  
bant ac proseqvabantur. Sed cum ille sub  
hoste Christiani nominis habitat , prudenti-  
simè modernus REX *JOANNES III.* in Comi-  
tiis

tiis felicis Coronationis An. 1676. appellatio-  
nes istas sustulit, sanciendo contra transgres-  
sores pœnam colli, & confiscationis bono-  
rum, permitendo tamen aggravatis appelle-  
lationem ad Judicia Relationum.

Singulare *conversis Judeis* beneficium  
exhibit Statutum Lituanicum cap. 12. artit. 7.  
part. 5. qvod nimurum, si Judæus vel Judæa  
Religionem Christianam amplexus fuerit,  
*Nobilitatis prærogativam* una cum sobole ac-  
qvirat.

*HEDVIGIS Regina* in qvodam conventu  
ferocientibus & justas conditiones pacis a-  
aspernantibus *CRUCIGERIS* Prophetino Spi-  
ritu cladem illam, qvâ postea illorum vires  
fractæ conciderunt, prædixit, se qvidem vi-  
vente pro eâ audacia nihil adversi eos passu-  
ros, post mortem vero suam maximis cladi-  
bus illa omnia expiaturos *Sarn. p. 342.*

Cum ante prælium inter Grunvaldam &  
Tannebergam arrogans & victoriæ securus  
Crucigerorum Magister *CONRADVS à TVN-  
GINGEN* duos enses Sangvine imbutos mise-  
rat, unum Regi *VADISLAO JAGELLONI*, al-  
terum *VITOLDO*. Rex imperterritu respon-  
dit animo, bene est, accipio lubens gladios, ut  
omina victoria secutura, cum victoribus victi  
arma sua tradere soleant. Uti dictum ita fa-

ctum, magnam enim & memorabilem Rex, cæso ipso Ordinis Magistro, obtinuit victoriā, qvam præcipuarum *Borussia Vrbium* se-cutā est *deditio*.

Miro fati velut *Iudibrio* Nobilis qvidam fortissimus ex familia *HERBVRTORVM* salvus evasit, cum enim tempore *SIGISM. AVG.* Regis à duobus Turci s ex utroq; latere invade-retur, & unius sarissà ferè non eqvo ejicere-tur, altera parte irruens simili telo hostis de-fluentem restituit. Ita mox impetu stimu-lati eqvi ad suos peruenit.

Singulare est, qvòd cùm alibi *DUELLA* simpliciter sint prohibita, in Poloniā cum sci-tu Regis peragi possint juxta Constit: 1588. Qvòd hanc licentiam *SIGISMVNDS I.* se-mel dederit, refert suā memoriā *Cromerus*.

*EXPEDITIO GENERALIS* ita privilegiata est, ut nullus famulus conditionis Nobilita-ris, qvi sub tertijs universalibus servitium suscepit, à Domino recedere possit, sub pœna capitis & infamia. Notandum hic, qvod illi etiam, qvi Decretoru*n* vigore pro pœna publicā sessionis turris satisfaciunt, ad expe-ditionem venire, & postea reliquam sessio-nem absolvere tenentur. Constit: 1621.

Expeditionem *BUCOVIENSEM* contra *STE-PHA-*

*PHANUM Moldaviæ Palatinum fatalia quædam signa ut refert Sarnicius lib. 7. pag. 371. præcesserunt. Eqvus generosus in quodam torrente parvo juxta Leopolim sub Rege JOANNNE ALBERTO succubit, pauculaq; aqua obrutus est. Eqves item Polonus Szrobski cum esset insanæ mentis, clamabat vociferans. Nostrí in suum malum proficiscuntur. Fulmen etiam quædam eqvitum cum duodecim eqvis interemit.*

Singulare in Polonia nomen habent *QUATUOR MENSES, SEPTEMBER, OCTOBER, NOVEMBER, DECEMBER, MILITARES* quod Rex vacantia per illos beneficia Capitaneatus, Tenutas & officia terrestria bene meritis militibus conferat, vigore Constit. 1662. Jam ante illam legem liberali in militares viros animo Rex ULADISLAUS *QUARTVS* fuit, adeò, ut militibus primariò bona, honores, & titulos offerret. Undè Anagramma bene conveniens.

### *LADISLAVS, DASVILLAS.*

*Casus, an ingenium, mens an præsaga futuri  
Transpositis literis hoc Anagramma dedit.  
DASVILLAS, capio non pari Principis omen,  
Principis est virtus magna juvare suos.*

Utrumq; fædus tam inter AUGUSTISSIMUM IMPERATOREM LEOPOLDUM, & SERENISSIMUM Regem Poloniæ JOANNEM III. Anno

1683. Varsaviæ, qvam alterum snter hos & SERENISSIMAM REMPUBLICAM VENETORUM Anno 1684. Viennæ conclusum est *Mense Martio*, non vano omne MARTIORUM contra Turcas Successum, Marte ultore, Deo Tute. Simile cum Venetis Fœdus alij Reges Poloniæ desiderabant, sed res intra votum stetit; Felix fatum in occulto hoc tenuit sub moderni Regis Nomine Gloriosissimo.

*JOANNES TERTIVS REX  
VENETOS IN RES TRAXI.*

Considerando vetera & aliquot Seculis ferè continua TARTARORUM adversus Polenos Bella, res mira est, qvod Gens olim *inimica*, in Regem JOANNEM CASIMIRUM impense *amica* fuerit, & contra illius ac Regni hostes hostile induerit animum, sub missis identidem Copijs, & qvod magis, apud Aulam Othomanicam cum curâ egerit causam Polonam, imò, qvod maximum est, COSACOS armorum stimulis eo adduxerit, ut primum manus abstinerent à Poloniâ, & tandem novo obseqvij vinculo eidem adstringerentur *Past.*

Res mira, qvod sub BOLESLAO PUDICO, qui cum uxore perpetuum *Virginitatis votum* habuit, TARTARI ultra *viginti millia Virginum* abduxerint.

Sub

Sub hoc Principe BOLESLAO TARTARI primo eoq; multiplici impetu per Poloniam defevierunt. Russis, qvod toties immanissimam Gentem juverunt, non cessit impunè. Ferunt enim à transeuntibus TARTARIS immissis humanis cordibus, qvæ veneno imbuta erant, infectas aquas nova morborum genera peperisse, qvorū ut causa diū fefellit Medicos, ita soboles hodieq; inexplicabili tricarum contagie, qvam PLICAM vocant, credidit vulgo superesse. *Pastorius in Floro Pol. Lib. 2. pag. 95. 96.*

Ex occasione TARTARORUM hic annoto, qvod nostra cum illis bella similia sint Romanorum cum Phartis. Si enim hodiè redunt & fugari videntur, in crastinum ipso mane redeunt. Trajectus Danastrijs tanti apud Christianos vel minimus omnis. Res singulari admiratione digna, qvod occulto DEI Judicio Natio ista pro flagello Christianis reservata, ne minimam qvidem patiatur mutationem, aut confusionem; eadem utuntur lingua, idem ipsis vestitus, ijdem mores, eadem belligerandi ratio, qvæ ante aliquot annorum millia viguit. Notandum illud Ovidij, qvod, inter ipsos ad Pontum Euxinum exulans, Romam scribit:

*Maxima pars hominum nec te pulcherrima curat  
Roma, nec Aesonij militis arma timet.*

*Dant illis animos arcus, pleneq; pbaretre,  
Quaq; libet longis euribus aptus equus.*

Specialis gratia est, qvòd cum cives (Religionem Christianam profitentes) non habeant facultatem *BONA terrestria* possidendi, **TARTARI** in Lithuania Lipkovvie (Mahumetanæ Sectæ addicti) eorundem capaces sint. Hinc **Constitutio 1677.** Tartarorum indemnitati prospicit, cavetq; ut in Criminalibus juxta Statutum Magni Ducatus Lituaniæ æ qualiter cum Ordine Eqvestri habeantur, & in Cancellarijs Castrensis, Terrestribus Tribunalitijs, & Assessorialibus à causis suis uti Nobiles, id qvod Juris solvant, sine ullâ de pactatione.

Singularis planè libertatis prærogativa est, qvod in Comitijs Polonicis obstante *unius contradictione* nihil concludi possit, imò qvod omnia jam sancta evanescant, quando post Tribunitium illud **INTERCEDO** Nuntius Terrestris non revertitur.

Singulare est, qvod licet in novissimis Comitijs Varsaviensibus Anni 1685. Consilia Ordinis Eqvestris *Lithuanus* scilicet Illustrissimus Dominus ANDREAS GIELGUD Notarius Magni Ducatus Lithuaniæ Capitaneus Szadoviensis rexerit, tamen Comitia immediatæ seqven-

seqventia Grodnæ iterum sub moderamine Lithuaniae celebrari debeant.

Singulare est, qvòd Deputatis Tribunalis non liceat diebus feriatis *convivia* parare vel ijsdem interesse, secundum acta electionis Regis MICHAELIS.

Singularis olim in Polonia fuit poena, qvà rubris uti vestibus interdicebatur.

Qvamvis qvilibet sit rerum suarum Dominus & arbiter, ac supremæ voluntatis liber sit stylus, tamen jure Polonico facultas testandi non parùm est restricta, ita ut de rebus immobilibus Nobilitati disponere non liceat, sed tantum de mobilibus, ne scilicet facultates Nobilium ad Extraneos interdum beneficio Testamentorum in præjudicium legitimorum hæredum transferantur. Hinc Testamenta contra Statuum SIGISMUNDI I. Cracoviæ 1510. facta sunt irrita. Statutum autem seqventis est tenoris: Pietatem sanctam opprime nolentes, sed eam summo favore prosequi cupientes decernimus, ut Testamenta condantur juxta veterem Constitutionem ex more antiquitus servato de bonis mobilibus, immobilia vero bona tam hereditaria quam oppignorata (ne defensio Reipublicæ minuatur) Testamenti ordinationi subjecta minimè esse debent; secus de bonis Regalibus, eadem enim propter Reipublicæ commodum

*modum nobis in parte vel in toto Testamento legari poterunt.*

Licet jure Justinianeo & Canonico nati ex soluto & solutâ liberi per *subseqvens matrimonium* legitimentur, adeoq; in bona Parentum succedant, tamen in Poloniâ jus singulare est, ita ut *juxta Constitutionem 1578.* liberi secuto matrimonio non efficiantur legitimi, neq; ullâ successione in bonis, neq; ullâ prærogativa Nobilitari gaudeant, qvia in expeditione bellicâ æqvalis, æqvali testimonium perhibere debet, si desertæ stationis accusatus fuerit, qvod eum locum, qvi ipsi obtigerat, non tenuerit.

Singularis in Jure Polonico *occidendi impunitas* est illo casu: Si qvis pro Nobili se gerat cum non sit, & occidatur, pro ejus capite mulcta non solvitur. Qvod ita intelligendum est, si tanquam pro capite veri Nobilis actio intentata fuerit vid. *Constit. 1557.*

Speciali rigore *alternata Capitaneatum* Ducatus LIVONIÆ munita est, dum *Constitution Anni 1589.* Cancellarijs, si contra eandem egerint, privationem Officij, & exportantibus e-jusmodi Privilegium pœnam Infamiae minatur.

PHILIPPO PADNIEVIO Anno 1559. recenter  
Pro-

Pro-Cancellario creato *Sigillum Regni* torqui  
aureo appensum ex conclavi furto *ablatum*  
est. REX *SIGISMUNDVS AVG.* certior eâ  
de re factus, ab initio attonitus stetit. Depre-  
hensus postea fur ille sigilli candenti sigillo  
per Urbis Cracoviensis compita lacinatus  
laqueo vitam finivit. Recenset hunc notabi-  
lem casum fusiūs *Rutgerus Horstius lib. de Can-*  
*cell. p. 710, 711.*

Ex duobus *MATHEMATICIS*, qvi singulari  
scientiâ suâ præclarām in Orbe gloriam me-  
ruerunt, unum produxit Polonia scilicet Ni-  
colaum *Copernicum* Canonicum Varmien-  
sem, alterum Tychonem Brahe dedit Dania.

Singularis mittendarum Regiarum lite-  
rarum modus fuit usq; ad Annum 1647. Fe-  
rebantur enim illæ per Aulicos ministros,  
qvo res postularet, ita ut in Præfecturis Re-  
giis vehicula darentur. Sed dicto tandem  
anno abolitum id onus & consensu Ordinum  
ad aliarum Nationum morem Tabellarii  
publici (*POSTÆ vulgo*) constituti sunt.

Concinna Urbis *CRACOVIENSIS* effigies  
est, dum *Agvileam* expansarum alarum, qvod  
est *Insigne Regni* exprimit, si nimirum corpus  
Urbis per circumferentiam corpori Alitis,  
suburbia ab utraq; parte alis expansis, ca-  
put verò Aliti excello monti seu rupi Vavelo,

qvod, paulatim assurgit, conferatur. *Sarmcius in An. Pol. p. 78.*

Observatione dignissimum, qvòd *VARSAVIA* Residentia Regis Poloniæ, sit centrum multarum Residentiarum scilicet Romanæ, Parisiensis, Londinensis, Moscoviticæ, & Constantinopolitanæ. Äqvali etiam distantiâ, minori tamen ab istâ sunt Urbes Stockholmia, & Haga Comitis.

Singulari temperamento loci adscribitur, qvòd *KIOVIAE* corpora Principum à longo temporis spatio incorrupta monstrantur.

Singularis obtinet in bonis *ROGOWIENSISIBUS* in districto Wilkomirensi poena contra Kmetonem sive subditum. Nam captum in retibus ursum itâ scite ligare debet, ut possit ad ligneum receptaculum portari; Si vero artem minus dextre exercuerit, ut ursus elabatur, apicem arboris tenetur ascendere, qvæ postea securi cæditur, & in sefforem casui exponit.

In *CAPITANEATU SZORSZTINENSI* nonnullis in agris tam ingeniosa est fertilitas, ut de seminè filiginis surgat triticum, & de avenâ linum.

Anno 1353. Regnante *CASIMIRO Magno*  
cum

cum Martius, Aprilis & Majus ultra medium  
verno ac penè æstivo calore ad calamis &  
aristas segetes perduxisset, coorto derepente  
acri frigore & gelu, nix duos cubitos alta  
terras operuit, & in sextum usqve diem du-  
ravit. Et cum omnes jam existimarent se-  
getes corruptas, ubertas frugum præter  
spem tanta coorta est, qvanta vix unqvam  
alias fuit, uti refert. *Sarn. in An. p. 324.*

*Anno 1414.* in Lithuania tam insolita per  
Januarium ac Februarium auræ tepiditas  
fuit, ut passim herbæ arboresq; vernis flori-  
bus coniectæ spectarentur *Kojal. p. 49.*

*Anno 1551.* itidem in Lithuania per hye-  
mem ita tepidæ pluviæ increbuerant, ut non  
aliter, qvam ultimo verè solet fieri, omne  
frumenti genus in spicas excreverit, qvod  
deinde universum intempestivo gelu plane  
intercidit. *Kojal. part. 2. p. 415.*

Cum multi dubitent, an detur *BASILISCUS*,  
qui ex ovogalli decrepiti excludatur, operæ  
preium est, admirandam illam historiam,  
qvæ ferè ante seculum in Poloniâ contigit,  
& à *Sennerto in Epitome naturalis Scientie* re-  
fertur, integrum hic apponere. Varsaviæ *An.*  
*1587.* accidit, ut Machæropæi cujusdam filius,  
viciniq; filia qvinquennes ambo cum æqua-

libus pro ætatis more, cessationis impatiens, exercitatione ludicrā tempus fallerent, latebrasq;; in qvibus à colludentibus haud facile invenirentur, qværerent. Fuit haud procul ab eo loco, in qvo ludebant, cella qvædam subterranea ob incendium qvod ante triginta circiter annos super structum ædificium absumperat, desolata, in qvam per semiputridos gradus utcunq; repi poterat, in eam cum ambo se dimitterent, in imis gradibus conciderunt, & exspirarunt. Ut cænæ tempus appropinqvavit matres de suo qvæq; infante sciscitatæ, nec qvis ubi essent sciret, nihil rescire potuere, itaq; uxor Machæropæi ancillam emisit, qvæ diu qvæfitos in gradibus cellæ, qvos dixi, jacere consperxit, moxq; exclamavit, ecce ibi jacent! At vero neutro se movente, suspicari cœpit somno correptos esse, clarâq; voce nunc hunc nunc illam nominavit, si forte eos experge facere hâc ratione posset. Postqvam verò vel ad rafim clamando nihil se proficeret, sed operam ludere animadvertisit, ipsa qvoq; in cellam descendit, cogitans vellicando somnum dormientibus, ut opinabatur excutere. Ovid fit; protinus & ipsamet juxta infantes concidit, & extingvit. Ingredientem in profunda cellæ ancillam hera fuerat conspiciata, ut vero eam diutius æqvo morari videt-

Nec revocare gradum superasq; evadere  
in

in auras, attonita ad cellam accurrit, ancilamq; cum infantibus humi prostratam cernit. Itaq; & ipsa clamorem edit altaq; voce modo infantes, modo ancillam appellat. Qvum vero & hoc incassum fieret, neq; jacentium qvisqvam aut responderet, aut sese commoveret, ex animatos esse colligit. Ex templo fit rumor, cives concurrunt, nec tam qvid facto opus sit sciunt, donec de tristi hoc casu ad Consules & Senatum referretur, à qvibus mandatum, ut cadavera uncis incendiariis extraherentur. Ea extracta tympani instar turgebant, labia & lingvam tumor obsederat, color erat fuscus, oculi extra suas cavernas ad dimidii ovi gallinacei magnitudinem prominebant. Accessit ad hoc triste spectaculum Consulis rogatu Palatinus N. & senex qvidam Archiater Regius Benedictus nomine. Hujus conjectura fuit serpentem veneni præsentissimi in desertâ illâ cellâ stabulari, cuius perniciose halitu aër in ea conclusus inquinetur, eum autem infirmam hominis naturam perferrere non posse. Qvamobrem credibile esse hunc infantibus & ancillæ exitum attulisse, fieri etiam posse, ut ibi latibula habeat Basiliscus, quem naturæ rerum indagatores ex ovo galli à bufonibus excluso nasci perhibeant, cuius tanta sit virulentia, ut qvi in oculos ejus offendenterint subito moriantur. Interrogatus,

quâ ratione rei veritas explorari queat, respondit esse aliquem in cellam mittendum eumq; circumquaq; speculis aversis munitum. Basiliscum enim si suam ipsius imaginem videat, protinus emori. Fuere illic sub tempus id duo rei, capitis suppicio intra triduum afficiendi, quorum alter Polonus alter Silesius atq; hunc nomen Johanni Jaurero. His conditio oblata est, uter eorum in cellam descenderet, serpentemq; illum venenatum venaretur & quæreret, ei capitis supplicium remitteretur. Conditionem Johannes statim accepit. Itaq; toto corpore corio indutus est, perspicilia oculis obligata, quæ visum tamen haud impedirent, una manus instructa ferreo rutabulo, altera face ardenti, deniq; cunctis corporis partibus ante & retro specula annexa fuere. Sic adornatus cellam ingressus est, spectantibus plus quam duobus hominum millibus. Postquam vero per horæ spatiū omnes cellæ rimas, omnesq; Angulos perquisivisset, neq; serpentem ullum invenisset, ut alia nova fax in cellam dejiceretur postulavit. Esse enim juxta cellam, in qua erat aliam, sed aditum ruderibus esse interclusum, operam daturum se, ut in eam ingressum sibi paret, dum vero id agit oculos forte sinistrorum flectit, & diu quæsitam bestiam gallinæ figurâ in quodam muriforamine jam exanimatam jacere, ex inopi-

inopinato conspicit. Qvod cum ijs qvi fo-  
ris erant clamore significasset, Archiater mo-  
nuit, ut ferreo rutabulo sublatam ē cellæ  
tenebris in apertam lucem exportaret, idq;  
illico in oculis atq; congregatione magnæ  
multitudinis hominum factum Archiater be-  
stiam visam Basiliscum protinus indicavit.  
Magnitudo ei mediocris gallinæ, capite ad  
galli Indici figuram accessit, crista coronæ  
æmula, partim flavo, partim cæruleo colore  
conspersa, palearia eodem modo colorata  
fuere. Dorsum habuit multis maculis emi-  
nentibus, oculosq; bufonum adsimilantibus  
consitum interjectis passim coloribus viru-  
lentorum animalium, ut plurimum autem  
flavō. Idem colores etiam alas extrinsecus  
occupaverant. Sub alis totus favus fuit,  
nec non sub ventre; ubi tamen flavo cæru-  
leum & viride & alij miri colores interpositi  
fuere. Cruribus fuit oblongis, galli cruri-  
bus simillimis, cydoniorumq; malorum fla-  
vedine proximis. Ante & post hæc crura u-  
trinq; duo alia prodierunt, bufonum cruri-  
bus & brevitate & figurâ respondentia. Cau-  
da illi fuit incuruata ac sursum reflexa ma-  
culisq; superiùs, qvales in dorso enitusse di-  
ximus, plena: Inferiùs flava, in extremo bu-  
foni concolor.

Haud injucundum, credo, erit Lectori, in-  
ter *SINGULARIA SINGULAREM*, qvæ sub *SI-*  
*GISMUN-*

*GISMUNDO AUGUSTO* nata est, & ad vitæ ci-  
viles moderamen collimavit, legere hic REM-  
PUBLICAM BABINENSEM. Exhibit eandem *Sta-*  
*nislans Sarnicus* Historicus præstantissimus  
& rarissimus *Annal. Pol. lib. VIII. p. 305.* & seqq.

## DESCRIPTIO REIPUBLICÆ B A B I N E N S I S

*Exbilarandi Lectoris gratia.*

**P**ER idem tempus res faceta, & plena ju-  
cunditatis à qvibusdam Nobilibus in ter-  
ra Lublinensi excogitata fuit. Instituerant  
isti societatem qvandam, qvam Rempub. Ba-  
binensem vocabant: eo qvod loci cujusdam  
Babin dicti Dominus & possessor fuit, qvo  
Autore potissimum illa Respub. stabilita flo-  
rebat. Significat autem vox Baba patria lin-  
gva anum, & Babine id, qvod ad anum per-  
tinet. Jam jocos, lususq; aniles nugas vul-  
go vocare solent. Itaq; locus ille vetustate  
neglectus ac pene deletus, prætereuntibus  
risus materiam non tam sua exilitate, qvam  
appellatione, sœpe largè subpeditabat. Ho-  
mines igitur lepido, & amœno ingenio præ-  
diti, occasione arrepta, à loco, & loci posses-  
sore Rempub. Babinensem, id est sedem prin-  
cipalem omnium, qui miscentur sermonum  
facitorum, istam societatem appellarunt.

U

Ut autem hæc societas magis conspicua redideretur, imitati ij, exqvib⁹ ipsa constabat, ipsius Reipub. Polon⁹ constituendæ rationem, Regem, & Senatum sibi deligunt; Archiepiscopos, Episcopos, Palatinos, Castellanos Præfectos oppidorum & militiæ, Cancellarios, & alia id generis munera gerentes ac magistratus, sibi designant, & creant. Deferendi autem has dignitates, & munia imponendi hunc morem tenebant. Qvemcunq; in convivijs, & conventibus celebrioribus observassent in aliquo genere dictorum aut factorum, præter modū ac decorum excellere, eum maximè idoneum ad obeunda munera ei rei consentanea censebant. Verbi gratia: Multus erat qvis piam in sermone de sublimibus rebus, & ejus conditioni minimè convenientibus, hunc aut Archiepiscopum aut aliquem magnum Satrapam faciebant. Si qvis vel sermone lapsus, vel aliam ob causam paradoxon aliquod, seu per difficile creditu in medium attulisset; hunc aut Rhetorem, aut Cancellarium Reipub. suæ constituebant. Si qvis thrasonicè gloriabatur, qvod fortiter, & audacter se gessisset in aliquo conflictu, aut de rebus bellicis supramodum non suo loco garriebat; hunc præfectum copiarum aut eqvitem auratum creabant; literasq; super ea re conficiebant, cerà, & sigillo obsignatas, qvas non contemnendas viris, sibi tamen similibus deferendas tradebant:

debant : Qui assurgentes eas accipiebant, &  
qvādam cum reverentiā ad eum ad qvem scri-  
ptæ erant , deferebant. Is autem cogebatur  
officium illud suscipere, vel, si illud dēdigna-  
batur, ab omnibus risu excipiebatur. Et qvō  
morosiūs se gerebat qvis renuendo ac recu-  
fando ejusmodi honores , tantō magis ab il-  
lis irridebatur, & festivē aulicis dicterijs ex  
composito tam diū exagitabatur , traduceba-  
turq; donec edomitus collum submitteret.  
Quare ad mores corrigendos, ad sermones  
cautē miscendos, ad civilitatem modestiamq;  
in junioribus formandam jocus & urbanitas  
illa plurimūm pertinebat. Et erant ita nasuti  
censores vitæ ac morum illi optimi duces hu-  
jus societatis, ut nullus Physicus affectus hu-  
manos, & potentias animæ ita exactè definie-  
rit, nullus Ethices Professor de vitijs, & mori-  
bus ita explicaverit , nullus Physiognomus ex  
vultu, gestu , incessu & intuitu ita hominum  
naturam cognoverit, ut illi ( sic enim eos hoc  
loco vocare libet) divini patres. Et cum ali-  
quis eis novitius per jocum in societatem of-  
ferebatur, tunc veluti deliberaturi, tardius  
eum recipiebant. Proloqvatur, inqviebant,  
detqve primūm specimen aliquod suæ indo-  
lis ; tum videbimus ad qvod officium erit  
maximè Idoneus. Nam & ad inferiora qvæ-  
dam ea res descendebat. Si qvis enim de ca-  
nibus, de feris , de falconibus , non tempore  
fuo,

suo, aut loco paulo fusiūs verba faciebat, hunc statim aucupem, & venatorem Babinensem faciebant. Si quis autem de religione supra modum ad mensam disserebat, mox eum concionatorem Babinensem pronunciabant. Si quis ex sententia Romanæ ecclesiæ, aut cuiuspiam alterius religionis, supra modum zelo flagrabat, aut etiam acerbius ea de causa in alios vehebatur, mox eum inquisitorem hæreticæ pravitatis Babinensem declarabant. Si quis de equis, & eorum proprietatibus verbosiūs disserebat, si de œconomicis rebus, admixto præsertim mendaciolo aliquo, ut sit plerumq; inter comedendum, curiosiūs loquebatur, mox eum vel magistrum equitum, vel Regiū œconomicum Babinensem, ad exemplum Magni Procuratoris Cracoviensis creabant; assurgentesq; interdum in ipsa mensa honores illos eis deferebant. Usq; adeò autem ista ludicra Resp. invaluerat, ut rarus esset in ipso Regni Senatu, in clero, inter aulicos, inter alios ordines regni, cui non aliquid tale aspergeretur. Sic alios, capitaneos; alios, copiarum ductores; alios, infantes Hispaniarum; alios, Fac totum, alios, turbines Babinenses vocitabant. Res ista deniq; ad Sigismundum Augustum Regem perlatā est, de quā non sine magnâ delectatione sæpius multa audivit. Et cum injecta esset mentio aliquorum Procerum, qui insigniti erant ejusmodi honoribus,

interrogavit, an etiam Regem in eâ Republi-  
câ haberent. Cui respondisse fertur ipse Ca-  
pitaneus Babinensis, qvi præ alijs supra mo-  
dum vultu, aspectu ipso, & sermone facetus  
erat: Absit, inquit, à nobis cogitatio ista, ut,  
te vivente, Serenissime Rex, & superstite, de  
alio Rege eligendo cogitemus, aliumve cre-  
emus. Tu & hic, & apud nos Rex esto. Risit  
placidè humanissimus & benignissimus Rex,  
nec ullum signum indignationis dedit; Imò  
verbis, qvæ addidit, risum omnium auxit.  
Cæterum, cum aliquando quidam paulò gra-  
viùs de Regno Alexandri Magni, de qve Per-  
sarum, Babyloniorum, & Romanorum Mo-  
narchia in confessu horum hominum disse-  
reret. Tum quidam ex eis sermonem exce-  
pit. Quid, inquit, antiquitatem jactas, &  
amplitudinem illarum Monarchiarum; No-  
stra Babinensis antiquior & Græcâ, & Perficâ,  
& denique omnibus est; Qvia David de ea  
dixit: Omnis homo mendax, & hoc est ejus  
fundamentum atq; essentia. Ergo in ea Da-  
rius, Alexander Magnus, & totus mundus in-  
cluditur. Cunctis sese invicem intuentibus,  
hic sermo ab omnibus cum applausu exce-  
ptus est. Jactabant autem, se habere privi-  
legia à Regibus, & Imperatore, atque etiam  
summo Pontifice, qvibus eorum Respub. con-  
firmaretur. Jam si quis acerbè aliquod ver-  
bum in alium torisset, aut mendacium cum  
damno

damno alterius, & læsione dixisset, hunc ne-  
quaquam idoneum ad capessendos honores  
in sua Repub. judicabant. At qvi urbanè  
absqve damno cujusquam aliquid commini-  
sciebatur, hunc non modò laudabant, sed eti-  
am officio aliquo cohonestabant. Locum  
porrò comitiorum suorum jocosò vocabulo  
**GELDAM** appellabant, à Gedanensibus mu-  
tuatà voce, qvi popinam suam **GELDAM**  
vocant. Sed apud nos inconditum garri-  
tum multitudinis congerronum ea vox signi-  
ficiat. Et erant homines illi, qvi duces erant  
illius societatis, prudentes, & magnæ existi-  
mationis apud qvosqve bonos, & apud ipsum  
Regem, potissimum Petrus **Cassovius**, qvi  
**Cancellarius**, & **Psomka Fundator Societatis**,  
qvi **Praefectus Babinensis** vocabatur.

*GLORIA illi MAJESTATI,  
Cujus SINGULARE est, quod  
In trino Simplex, & uno  
Triplice mirando jure Triuna-  
manet.*



# INDEX.

## A.

- A** Lternata duplex directionis Lithvanicæ in Comitijs pag. 30  
 Annus 1559. fatalis 21  
 it. 1632. 21  
 Appellationes Ruthenorum ad Patriarcham Constantinopolitatum 24  
 ArchiEpiscopi Gnesn: Mareschallus 20

## B.

- Babinensis Respublica 40. seq.  
 Basiliscus ex ovo galli 35. seq.  
 Boleslaua I. & II. ibid.  
 Boleslai Chobri Zelus 5  
 Crivoulti magnanimitas 5  
 ejusd. mutatio 5  
 Boleslai IV. pudicitia 6  
 Bukoviensis expeditio 26. seq.

## C.

- Camenecum quando conditum & occupatum 23  
 Carolus Ferdinandus Candidatus ad regnum 14  
 Casimirus I. primus literatus 6  
 ejus mater ibid.  
 Casimirus Magnus ibid.  
 Casimirus Magnus eqvō labitur 6  
 ejusd. similitudo cum Casimiro L. 7

- Casimiri duo prius religiosam qvam regiam vitam probarunt 13  
 Climactericus annus Poloniæ Regibus non fatalis 1  
 Contradiccio unius in comitijs 30  
 Copernicus Mathematicus 33  
 Cracus monstorum domitor 3  
 Cracovia insigne regni exhibet 33  
 Crucigeris prædicta clades 25  
 Curlandiæ primus Dux 20

## D.

- Duella 26  
**E.**  
 Electionis locus Regibus Pol:non est fatalis 1. 2.

- Elisabethæ foecunditas 9  
 Expeditio Generalis 26

## F.

- Fertilitas 34  
 post nivem 35  
 Fœdus Polonorum cum Imperatore & Venetis 27. seq.  
 Fossa septem milliarium 23

## G.

- Grunvaldense prælium 25  
 Guzovo fatale Kokossianis nomen 11

## H.

- Hedvigis humilitas 9  
 Henricus Poloniæ regnum amisit 11  
 Her

I N D E X.

Herburtus qvidam periculum mire  
eva. it 26

Hostium tot cæsi qvot Polonorum  
pugnarunt 22

I.

Joannes Casimirus fratrī luxorem  
duxit 13

abdicat ibid.

Joannes III. Viennam tendit 16. seq.  
Salisfodinas Vielicenseſ ſca-  
lis donat 15

Fœdus contra Turcas init.  
27. 28.

Jacobus Dux Curlandiæ 20

Jagello Apostoli officio fungitur 7  
consuetudo ejus ante egreſ-  
ſum 8  
circa missam ibid.  
vino abstinuit ibid.  
periclitatur à fulmine 9

Jagellonica domus 14

Immobilia bona 31

Judæus si Christianus fit 25

K.

Kijoviz corpora incorrupta 34

L.

Laskovvski Legatus turcicus 23

Legitimario per ſubseqvēns matri-  
monium non valet 32

Lipkovic in Lithvania 30

Livonia Capitanatum alternata 32

Ludovicus diſſimulato habitu op-  
da perlustrat

M.

Menses militares

Michael Rex Poloniæ

N.

Nix intempestiva

Nuptiæ qvas Casimirus M. paravi-

O.

Occidendi impunitas

P.

Piaſtea domus

Plica unde

Polonia cæpit eſſe regnum

Polocensis Palatinus

Popielus fit murium eſca

Postarum institutio

R.

Religio in Polonia & Lithvania

Religiones qvatuor in pactis con-  
ventis cautaꝝ

Reſpublica Babinensis 40. seq.

Rogoviensibus in bonis pæna ratio-  
ne dimiſſi uſi

Rokosiani

Rubræ vester

S.

Salisfodinae Vielicenseſ & Bochi-  
nenſes

Vielicensium flamma

Samo-

amogitiæ Capitaneus	21	Szorstenensi in Capitanatu fertili-
igismundi I. robur	10	tas 34
moderatio	ibid.	Szyszkovski Episcopus Varmiensis
fiducia erga subditos	ibid.	fit puer 22
ejusd: capacitas	ibid.	
igismundo Augusto prædictitur pe-		T.
riculum	ibid.	Tarnovij præmium militare 22
igismundus III. hereditarium re-		Tartari 29
gnum amisit	II	Tribunalitij deputati 31
ejusdem regimen	II	
coronatur ab ArchiEpisco-		V.
po Augustano	12	Ursorum venatio 34
igismundo III. periculum prædi-		Vaticinium de Regibus Poloniae 2
citur	12	Varfavia centrum Residentiarum 34
ejusd. mors	ibid.	Venda noluit maritum 4
igismundi duo, duas sorores habue-		Vladislai & festorum obfervantia
runt	ibid.	ibid.
gillum regni aufertur	32.33	Vladislai IV. nativitas 13
molenskum	12	
Stephanus Rex, Attilæ similis	II	W.
ejus morbus	ibid.	Weisselrot Episcopus Varmiensis
		nunquam risit. 22

F I N I S.













